

QVÆSTIONVM SVPER DEVTERONOMIVM

Gdo Ruth, vt semen excitaret propinquo suo, cuius fuerat illa vxor, nec de illo pepererat: & tamen qui de illa natus est, ex nomine quidem defuncti constitutus est, quia filius eius est dictus: atque ita factum est vt nomen defuncti non deleteretur ex Israël, nec tamen eius nomine appellatus est. Quæ cum ita sint, abundantius duobus modis solui potest Euangelica questio, vt vnus eorum, quos diuersos commemorant Matthæus & Lucas, ita fuerit propinquus alteri ad ducendam eius vxorem, vt alios etiam sursum versus parentes atque maiores iste, alios ille habere poterit. Nam si fratrum filij fuissent, vnum habuissent auum: quod non ita est: nam secundum Matthæum Mathan est auus Ioseph, secundum Lucam vero non Mathan, sed Mathath. Quod si quisquam putet esse tantam similitudinem nomini, vt fieret tam parua & penè nulla diuersitas, quid de istorum patribus dicturus est? Nam secundum Lucam Mathath filius fuit Leoui, secundum Matthæum autem Mathan ex Eleazar genitus inuenitur: atque ita inde sursum versus diuersi sunt patres & auis: & deinde maiores vsque Zorobabel, qui ferè est vigesimus sursum versus ad Ioseph apud Lucam, apud Matthæum autem vndecimus. Qui propterea ideo ipse esse creditur, quia pater eius apud vtrumque Euangelistam Salathiel inuenitur: quauis fieri poterit, vt alius fuerit eodem nomine habens eiusdem nominis patrem, cuius & ille habuit. Nam & inde sursum versus diuersi sunt, alium quippe habet Zorobabel auum apud Lucam, qui est Neritahum apud Matthæum, qui est Iechonias: atque inde superius nusquam est consonantia, quousque veniatur ad Dauid, apud Matthæum per Salomonem, apud Lucam per Nathan. Difficillimum autem videtur non fuisse aliquem propinquorem qui duceret vxorem fratris sui, quam cum qui ex Dauid esset cõsanguineus tam longinquo gradu, nõ aliqua infra propinquitate cõiunctus, cum sit apud Lucam Dauid penè quadragesimus à Ioseph, apud Matthæum autem ferè vigesimuseptimus. Aut si propinqui ad vxores defunctorum ducendas etiam illi quærebantur, qui ex fœminarum sanguine propinquabant, fieri potuit vt esset aliquis ita propinquus, qui Ioseph genuerit de vxore propinqui sui, qui sine liberis discessit: ac si ei esset alter ex natura pater, alter ex lege, in quorum patribus & auis & deinde maioribus, ideo nulla propinquitas appareret, quod non ex maribus, sed ex fœminis propinquarent. Veruntamen si ita esset, vt Dauid aliquando vnus pater occurreret: aut si quisquam potuisse contendat, vbi ponimus quod consuetudo scripturæ non est fœminas in genealogia pro maribus ponere, sicut eas nullus Euangelista interposuit. Vbi enim commemorantur matres, non ponuntur nisi cum patribus: ac per hoc aut ita propinquior defuit ad vxorem defuncti sibi copulandam, vt origo cognationis à Dauid repeteretur: aut adoptio fecit alterum patrem, quem posset habere Ioseph. Quid est quod inter illa quæ iubet dicere hominem, qui in dandis decimis, & quæcunque dare vel impendere iussus est omnia mandata compleuit, etiam hoc cum laude & commendatione sui dicere iubetur. Non dedit ei ex mortuo. An per hoc prohibet parentalia, quæ obseruare gentes solent? Non præteritis ab omnibus verbis quæ ego mando tibi hodie, in dextera aut sinistra ire post deos alienos seruire illis. Quæri potest quomodo possit intelligi ire in dextera, qui post deos alienos ierit seruire illis, cum dextera in laude ponatur, illud autem nunquam laudabiliter fieri possit: nam & quod reprehenditur in via vitæ, quæ declinat in dextera, non ibi ea reprehenduntur quæ dextera sunt, sed ille qui declinat in

caid est, qui sibi arrogat quæ dei sunt. Ideo dicitur **K** in Proverbij, Non declines in dextera aut in sinistra. Vias enim quæ à dexteris sunt, nouit dominus: peruersæ autem sunt quæ à sinistris. Ergo bonæ sunt dexterae quas nouit dominus. Nouit enim dominus **Psal.** vias iustorum: sicut in Psalmo legitur. Cur ergo dictum sit, Ne declines in dextera: consequenter ostendit addendo, Ipse enim rectos faciet cursus tuos. Absit autem vt dexteras quas nouit dominus, negemus esse rectas, sed, vt dixi, declinare in eas, est non illius gratiæ, sed tibi tribuere velle quod rectum est. Deinde, vt dixi, adiungit & dicit, Ipse enim faciet rectos cursus tuos, & omnia itinera tua in pace producet. Quapropter hoc quod isto loco Deuteronomij, de quo agimus, dictum est, Non præterabis ab omnibus verbis quæ ego mando tibi hodie, in dextera aut in sinistra ire post deos alienos seruire illis: non ideo dictum est, quia dii alij possunt etiam in dexteris accipere: sed ego mando tibi hodie, in dextera aut in sinistra habebant gætes alios deos colentes: aut hoc de dijs alienis separatim pronuntiandum est, vt duo sint sensus, quæ vnidelicet, Non præterabis ab omnibus verbis, quæ ego mando tibi hodie dextera aut sinistra, secundum illum **L** scilicet intellectum quem supra exposui: alius autem sit sensus, ire post deos alienos seruire illis: vt & hic subaudiatur, Non præterabis ab omnibus verbis, quæ ego mando tibi hodie. Quæ totum sensum si dicere velimus, superiora verba, quæ vtrique sensui sunt communia, repetituri sumus: vt quomodo illic dicitur, Non præterabis ab omnibus quæ ego mando tibi hodie, ire post deos alienos seruire illis. Prætereundo enim à verbis quæ mandata sunt, etiã hoc fit vt eatur post deos alienos: Non enim hoc solum mandatum est, aut hoc solum præteriri deus non vult quod mandauit, ne post deos alienos eatur, sed omnia quæ mandauit. Hoc tamen ita præcipue, vt post generalitatem præcepti, quo admonuit non esse prætereundum ab omnibus verbis mandatorum suorum, etiam hoc seorsum commendare voluerit. Potest hoc quod ait, dextera aut sinistra, etiam sic intelligi, vt nec eorum causa, quæ propter felicitatē appetitur, nec eorum quæ propter infelicitatem fugiuntur, ire mandauerit post deos alios: id est, nec proijs quæ amantur, nec contra ea quæ odio habentur à dijs alijs auxilium esse poscendum. Aut certe illo modo, veluti consulatur, quod profint, vel placeant, ne noceant. Nam & de quibusdam scriptum est in Psalmo, Quorum os locutum vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis: ideo quia his **M** rebz opinantur fieri hominem beatum, quas & boni & mali possunt habere. Et ideo dextera est iniquitatis, quia iniqui sunt qui eam dexteram putant. Non enim est recte vera dextera, sed dextera est eorum, quorum os locutum est vanitatem. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt, cum potius, sicut mox adiungit & docet, Beatus populus cuius dominus deus ipsius. Hæc est vera dextera æquitatis, non iniquitatis. Non est ergo eundem post deos alienos, neque in dextera, vt existimet homo ex ipsis fieri beatum: neque in sinistra, vt existimando ipsis aduersantibus se fieri miserum, ad hoc eos colat vt avertat. Aut certe si dextera intelligamus æterna, sinistra vero temporalia bona: nec propter illa, nec propter ista eos colēdos sancta scriptura hoc loco admonuisse creditur. Hæc verba testamenti quod mandauit dominus Moysi statueri filijs Israël in terra **XLIX.** Moab, præter testamentum quod testatus est eis in Oreb: ostendit vnde appellatus sit liber Deuteronomion, quasi secunda lex, vbi magis illius repetitio est quam aliquid aliud. Pauca enim sunt ibi, quæ non sunt in eo quod primum datum est: nec tamen **Deut. 29.** appellantur

Quæstio de duobus patribus Ioseph.

2. Retrac. cap. 55.

XLVII.

XLVIII.

M Psal. 143.

XLIX. Deut. 29.